

fer. 65. de verbis euangelii. Vnde accedere volentibus ad Deum magis expectanda est tentatio. Eccl. 2. Fili accedēs ad seruitutē Dei, sita in timore, & præparat. ad tenta. Et angelus ad Tobiam To. 12. Quia acceptus eras Deo, necesse erat, vt tentatio probaret te, & Job. 7. Militia est vita hominis super terrā. Denique quid aliud per totum euangelii decursum dominus fideles suos præmouendo intraxit, nisi quod vbiq; per secutionem expectent? Non veni mitte re pacē, sed gladiū. Mat. 10. Lu. 12. Similiter & in epistolis suis apostoli docuerunt, & quod verbo, & scriptis prædicabāt, factō cōfirmabāt. Præcessit Christus crucē ferens, secuti sunt per ignē, & aquā sancti, & fideles discipuli, vt dicit Apost. Heb. 1. Ecce in ipsa hora veri similiter multi in diuersis maris sinibus nauigarunt. Mar. 4. Alię naues erāt cū illo, & tñ solā nauiculā, in qua cū discipulis dominus fuerat, fluctibus operiri euangelista narrat, quos etiam (vt Orig. dicit) dominus ipse excitauit, vt sic ad se recurrēdū discipulos dñs, ammoneret. Quod licet hoc domino agente factū est, tamē frequentius à diabolo per se, & suos bonis inuidentes turbatio excitatur, sed non nisi domino mittente. Cur hoc fiat, vide lectione. 78 canonis. Videte nunc charissimi, quam impius multorū christianorum, ac desperatus sermo, qui se à cōuersione ad Dei opera retrahere laborāt ppter turbationē quietis temporalis, aut cōuersioni ad meliora tanquā pro demerito ascribunt, sicut hi, de quibus Hie. 44. dixerunt contra prophetā exhortationē, Sermonē quē locutus es ad nos, in nomine dñi non faciemus, sed sacrificabimus Reginæ cæli, sicut fecerunt patres nostri, & reges, & principes, & nos in vrbibus, Iuda, & plateis Hierusalē, & saturati sumus panibus, & bene erat nobis & malū non vidimus. Ex eo autē tempore, quo cessauimus, indigni sumus omni bus, & gladio, & fame consumpti sumus. Similiter legis desertores, & aliorum seductores 1. Machab. 1. dixerunt. Ex quo recessimus à gentibus, inuenc-

runt nos mala. Sic causati sunt Romani, qui propter fidei catholicæ assumptionem perdidērunt mundi dominium, quibus respondet Aug. in suo de ciui. Dei per totū cōcorditer ad verba Hie. ostendens, quod non propter conuersionem ad meliora, sed pœna commissa, in quibus misericorditer pepercit dominus, emendationē longanimiter expectans, & eorū fictā non veram conuersionē tandem etiā in præsentia puniuit.

Secunda doctrina. In tentationibus nequa quā desperandum est, quasi dominus tribulatos deserat, si ad tempus dominus dormiat, si ab ea non statim eripiat, sed fortiter sustinendum, & immobiler in bono perseverandum. Nam non abest dominus tentatis, nec eos deserit, teste psal. Iuxta est dominus his, qui tribulato sunt corde. Bern. Vellem semper tribulari, vt semper mecum esses. Iste est, qui in tentatione prouentum facit, vt possis sustinere. 1. Coriat. 10. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Benignissima etenim voluntate nostrū agnomē expectant, vt dignē coronet. Materiam laboris offert, vt abundantius premiet. Patientiam probat, vt in finem perseverantes iuste æternaliter glorificent. Sic patriarchā Iacob opinione mortis filij sui Ioseph viginti quatuor annis afflictū sustinuit, quem postea videntem, lætitia copiosior refecit. Ipseque Ioseph (Gen. 40.) seruitute, & carcere castigatur. Sic Iob (Iob ult.) in probatione ardua diu patienter sustinuit, quem post flagella restitutus duplo omnibus, per 140. vitæ annos in omni quiete, & gaudio conseruauit. Sanctus Tobias in exilio cecitate annis 14. examinatus, tandem ereptus, duplicia in domino præsentia gaudia promeruit, & futura. Sic Eustachium, sic Siluanum de Syluano in epistola Cyrilli ad Au. vide latē. Sic Mariā Ægyptiacā, alioq; plurimos, annis plurimis probatos, feliciter consolatus est post longam perseverantiā in aduersis. Non enim dominus tardat promissis, sed patienter agit, nolens alios quoque perire 2. Petri. 3.

Nunquā
diabolus
in surgit
in nosni
si Deo p
mittente.

In tenta
tionibus
nō est de
speran
dum.